



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

Caput centesimum vigesimum nonum. Jesus signum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

dit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est.

sinistris. Et Luc. 23. 33. Joh. 19. 18.

Marc. 15. 27. Et cum eo crucifigunt duos latrones, unum à dextris, & alium à sinistris ejus. Et impleta est Scriptura que dicit, Et cum iniquis reputatus est.

Luc. 22. 37. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me, Et cum iniquis deputatus est.

## CAPUT CXXIX.

## Jesús signum.

NUM. 21. 9. Fecit ergo Moyses serpentem aeneum, & posuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent, sanabantur.

Isa. 11. 10, 12. In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulcrum ejus gloriosum. . . . . Et levabit ( Dominus ) signum in nationes.

Isa. 49. 22. Hac dicit Dominus Deus, Ecce levabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros portabunt. Et erunt reges nutritii tui, & regina nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.

Isa. 55. 11, 13. Sic erit Verbum meum quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his ad que misi illud. . . . . Pro salicina ascendet abies, & pro urtica crescet myrtus, & erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur.

Isa. 61. 10, & seq. Transite, transite per portas, preparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, & elevate signum ad populos. Ecce Dominus auditum fecit in extrinsecis terre, dicite filie Sion, Ecce salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo: & vocabunt eos, Populus sanctus, redempti à Domino.

Isa. 66. 18, & seq. Ego autem opera eorum, & cogitationes eorum: venio ut congregem cum omnibus gentibus & linguis: & venient, & videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum, & mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam tendentes sagittam, in Italiam, & Græciam, ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam, & annuntiabunt gloriam meam gentibus.

MATTH. 12. 38, & seq. Tunc responderunt ei quidam de Scribis & Phariseis dicentes, Magister, volumus à te signum videre. Qui respondens ait, Generatio mala & adultera signum querit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jona Propheta. Sicut enim fuit Jona in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terra tribus diebus & tribus noctibus. Et Matth. 16. 1, & seq. Luc. 11. 16, 29.

Matth. 24. 29, 30. Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stella cadent de caelo, & virtutes caelorum commovebuntur. Et tunc parebit signum Filii hominis in caelo, & tunc plangent omnes tribus terra, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli, cum virtute multa & majestate.

Luc. 2. 34. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem ejus, Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur.

